

Volente Archiatro Maximo.

1649, 7

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

VENENO

Quam

DECRETO ET AUTHORITY GRATIOSIS-
SIME FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA
SALANA,

P R Æ S I D E

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq̃
Experientissimo*D^N. CHRISTOPHORO SCHELHAM-
MERO Hamburgensi, Med. Doctore, Anatomia,
Chirurgia ac Botanices P. P. celeberrimo, Facul-
tatis Decano spectatissimo, Dn. Patrono ac Pro-
motore suo omni observantia cultu
prosequendo.

P R O L I C E N T I A

*Summos in arte Medica HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA obtinendi & impetrandi*


Publicæ disquisitioni subjicit

VALENTINUS ANDREAS MOLLENBROCCIUS
Erffurtensis.*Ad diem Decembris**Horis locoque consuetis.*

J E N Æ

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff.

ANNO M. DC. IL.



V I R I S

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS
ATQUE EXPERIENTISSIMIS

DN. JOHANNI MICHAELIS SUSATENSI WESTPHALO, PH. ET MED. DOCTORI EMINENTISSIMO, PROFESSORI Therapeutices in celeberrimâ, quæ Lipsiæ est, Academiâ Publico famigeratissimo, Facultatis suæ Decano spectatissimo, Utriusq; Collegii Principp. Collegiato meritisimo, Academiæ Decemviro gravissimo atq; Archiatro Saxo-Altenburgico vigilantissimo.

DN. JOHANNI NICOLAO THOMINGIO, PALATINO PHIL. ET MED. DOCTORI CELEBERRIMO, MAJESTATIS REG. SVE. COR. ac ILLUSTR. Comitum Magni Gabrielis de la Garde &c. Archiatro longè dignissimo.

Dnn. Patronis & Promotoribus suis omni observantia cultu prosequendis

**Hanc Disputationem Inauguralem
in grati animi signum strenæ loco**

O. & D.

**VALENTINUS ANDREAS MÖLLENBROCCIUS
A. & R.**



In Nomine JESU.

I.

VENENI Doctrinam loco Inauguralis Exercitii tractandam suscepi, non in hominis destructionem, ut Heliodorus Atheniensis & alii, teste *Prævotio*, fecerunt, sed potius in ejus salutem, ut id vitandi & fortuito adhibito obviam eundi cognitionem habeat. Ut autem veneni natura facilius innotescat, à *definitione* exordiar. Est verò ea duplex, *Nominalis* alia, alia *Realis*. In illa tria sunt spectanda, *Etymologia*, *Homonymia* & *Synonymia*.

2. *Etymologiam* quod attinet. Dicitur venenum *Arduo* I. quod quasi venas necat. II. quod per venas vadat. Cum autem medicamentum & alimentum etiam venas petant, *Andr. Baccio* & *J. C. Scaligero*, non arridet hæc derivatio III. *Rob. Lyonnet. Aniciensis tr. d. Peste c. 16.* haud inconcinnè inde dictum putat, quod veniat, suapte enim vi in partes venit, non trahitur, ut alimentum. Verum *Baccius* veneni vocem apud Latinos nullam certam derivationem habere, sed potius simplicem esse statuit.

3. *Etymologiam* excipit *Homonymia*: Accipitur *Venenum* tripliciter. I. *Improprie* & *nimis late*, pro omni eo, quod nocere potest, quâ significatione, quæcunq; qualitatis & quantitatis excessu peccant, veniunt, ut *Spir. Vini*, *Spir. Oli*. II. *proprio*, quod suâ naturâ quidem nobis inimicum non est, sed peculiari aliquâ corruptione tale fit, ut humores in corpore, quando corruptione malignitatem induunt, quod fit in febribus malignis & *Lue Venerea*. III. *propriissime*, quemadmodum hoc sumitur loco, pro tali, quod totâ substantiâ corpori humano est adversum.

4. *Synonymia* sequitur: ubi apud Græcos, tria occurrunt nomina, quibus venenum insignitur, 1. δηλητήριον, 2. φάρμακον,

A 2

μακον,

μακρον, quod ambiguè accipitur, quapropter à plerisque ut Hippocrate & aliis additur δηλητήριο, θανατήφορον &c. 3. τοξικόν, quod, quanquam dicatur venenum ideò, quia Barbarorum sagittæ veneno illinebantur, ut tradit Dioscorides l. 6. c. 20. Quidam tamen, quòd venenum sagittæ instar hominem interficiat, sic dictum putant, vel, quòd ortum habeat ex sanguine hydræ (V. Prænot. d. venen. p. 336.) quam sagittis conficit Hercules. Plin. l. 6. c. 10. l. 26. c. 8. Latinis dicitur Virus, Germanis Gift / quasi dicant dosin noxiam, unde quando ajunt, Et nem vergeben / idem volunt, ac dosin deleteriam propinando aliquem necare.

5. Absolutâ Nominali, Realem arripio definitionem, quam hoc modo struo: *Venenum est corpus quòd totâ substantiâ corpori humano adeò est infestum ut ejus calidum innatum non tantum impugnandi sed & non raro expugnandi vim obtineat.*

6. Singulæ hujus definitionis particulæ sunt examinandæ. Constat autem hæc definitio Genere & Differentiâ specificâ, Genus statuo corpus, id quod cum ab Eustach. Rudio l. 2. d. morb. occult. qual. c. 1. & partim à Sennerto ac aliis sufficienter probatum sit, supervacaneum duxi ulterius id facitare.

7. Differentia specifica sumitur ab ejus agendi modo, objecto, in quod agit, & vi, quâ in id agendi præditum est. Modus agendi exprimitur, quando dicitur, quod totâ substantiâ in corpus nostrum agat. Ea autem totâ substantiâ agere dicuntur, quorum effecta manifestis primis secundisve qualitatibus attribui nequeunt sed occultis ascribuntur. Plem. l. 4. c. 6. de fundam. Med. p. 346. Talia venena esse J. C. Scaliger exer. 218. f. 8. docet & sequentibus probatur. 1. Quia venenum in minima quantitate (V. Galen. l. 1. d. Semine c. 16.) Subitò & momento secus quàm faciunt ea, quæ manifestis agunt qualitatibus, hominem lædit & interimit. 2. Quod in tali quantitate diu, priusquàm tandem suas exerat vires, in corpore latere possit. Sennert. d. Conf. & Diff. c. 8. 3. Quoniam affectus, quos inducit non nisi medicamenti occultis qualitatibus agentibus (quæ non per rationem neque curativas indicationes sed solâ

solâ experienciâ inveniuntur. *Plempius d. l. p. 348.*) extirpari possunt. Qui verò qualitates occultas planè negat & illas asyllum ignorantiae appellare non erubescit, objicio illud *Scaligeri exerc. 218. f. 8.* quod summa impudentia sit ad manifestas omnia deducere qualitates. Et sanè tales vel rationes ineptas & ridiculas afferunt, vel ea etiam negant, quæ experienciâ confirmata sunt. *V. Sennert. l. 6. Med. Pr. p. 1.*

8. *Objectum est corpus humanum*, utpote quod solummodo Medicinæ subjectum est, cui venenum ita est infensum, ut non modò calidum ejus innatum oppugnandi, verum etiam expugnandi vim obtineat & quamvis diversas corporis humani partes invadat, nihilominus tamen calidum earum innatum proximè afficit, ut vult *Cl. Dn. Tilemann. Marburg. P. P. in disp. d. Med. univers. p. 4.*

9. *Vis Veneni*, quâ in corpus humanum agendi præditum est, explanatur, quando dicitur, quòd *nò modò calidum innatum impugnare sed & non rarò expugnare valeat*, unde, quantum periculum imminet iis, quibus venenum communicatum est, concludendum. Verum non semper mortem statim infert venenum, id quod experienciâ satis compertum est, sed aliquoties diu absque noxâ in corpore latere potest, & narrat *Amat. Lusitan. c. 2. Curat. 65.* de puero qui epoto arsenico post annum prius obiit & *Petr. Forest. l. 18. obs. 28. p. 171.* se etiam tales nosse, asserit. Impediri enim veneni vis potest vel ratione sui, vel ratione Objecti, vel ratione evacuationis vel ratione alexipharmacorum. Præterea non quodvis venenum statim cor petit, sed quædam habent sua ex congenitâ & cœlesti virtute sibi dicata membra, quæ, etiam foris applicata, primario affectu infestant. *Lang. l. 1. Ep. Med. 68. p. 366. Santorell. l. 6. Antiprax. p. 163. & Andr. Bacc. p. 41.* quæ non ita ac illud, lethalia sunt, ut id infra patefiet.

10. Unde patet quid de hac quæstione sentiendum sit, *An venena quædam certo tempore interimere possint?* Sunt qui negant, sunt qui affirmant. Dico posse venena quædam ita temperari & impediri, ut hominem non mox jugulent, sed per dies aliquot & menses in corpore absque noxâ delitescere possint. Nam 1. Venena alia sunt fixa, alia volatilia, fixa dum sunt

venena, nihil damni afferunt, secus faciunt volatilia, hæc enim à calore nostro facilè resolvuntur & in actum deducuntur. *Sennert. d. conf. & diffens.* venena qq. loco & tempore calidiore magis virent, quàm frigidiore *Domin. Terill. d. caus. mort. repent. f. 2. c. 4. Rob. Lyonnet. in tr. d. peste c. 17.* unde etiam animalia venenata, quò magis ad iram concitata sunt, eò etiam eorum venenum est efficacius. 2. Patiens non unum & idem est, Receptivum enim secundum *Scaliger.* non recipit per modum imprimentis sed per modum suæ receptivitatis. Possunt itaq; esse quædam corpora, quæ propter virium robur aliquandiu veneno resistere possunt, ut non statim suas exerat vires. Præterea qui multis abundant excrementis & ventriculum cibo repleverunt, obruto ad tempus & superfluitatum alluvie impedito veneno, non facilè afficiuntur. Unde quidam cum vice oryzae arsenicum farinae edulio mixtum edissent, qui minimum ederant biberantque, statim à veneno sublati sunt: qui verò ventriculos saburrarant à vomitu curati ac multis post annis fatis concessere. *Henric. ab Heer obs. 16.* Illi verò qui calido humidoque sunt temperamento atque meatus amplos habent, facilius læduntur atque interimuntur. 3. quia non modò vomitorio evacuari, verum etiam alexipharmaca assumi possunt, quæ, quò minus venenum operari queat, impediunt, imò non tantum ab alexipharmacis infringitur venenum sed etiam ab altero sibi dissimili veneno: ea propter non semel à perfidis hominibus exhibita nullius valoris fuisse observatum est, cum ea dissimilibus fuerint associata. *J. C. Baricell.* Dari autem venena, quæ certo termino & tempore interimant, cum *Sennert. Casio, Prævot. And. Baccio, Barthol. & aliis* ob jam datas rationes omninò nego. *Hortul. Genial. p. 309.*

II. Est & adhuc alia quæstio ventilanda, *An venena nutriant?* Quidam affirmant & probant exemplis, ut *Galenus 3. simpl. de anu* quadam Atheniensi, quæ napello nutrita fuit, *Alb. Magn. l. 1. d. animal. c. 8.* de Puella Coloniensi, quæ araneis delectata. *Quidam* de Poro Indorum rege, qui serpentes & venena alia esitavit, quibus diutius alitus ita venenosus factus, ut cæteros homines halitu vel screatu interimeret, utuntur quoque

que ratione, quia dantur venena quæ semen generant & au-
gent, probantq; id ipsum ex c. 30. *Genes.* de Rahel, quæ מַנְדְּרָגוֹרָא
i.e. secundum veterum interpretationem, Mandragoram, à so-
rore sua desideravit, eo animo, quo matrimoniali proximo
congressu prægnans fieret. Quidam negant & nituntur ratio-
ne firmissimâ. Quia Omne quod nutrit simile esse debet ei
quod nutritur, Venenum autem cum nullo modo corpori no-
stro simile sit, nec etiam illud nutrire potest. Quibus & ego
ob hanc rationem assipulor. Exempla illa quod attinet distin-
guo inter corpus venenatum & venenum ipsum. Venenato
quidem corpore homo nutriri potest, cum illud etiam partes
quasdam alimentosas in se continere possit, non verò veneno
ipso; Quod autem de Indorum Rege allatum fuit exemplum,
respondeo, quod illud falsum videatur, cum nullus homo sic
assuescere possit venenis, ut fiat venenatus, nullum quippe in-
dividuum partiale potest obtinere naturam suæ speciei con-
trariam, si autem vera sit hæc historia, dico cum *Roberto Mon-*
tano hoc factum esse ideò, quod ex comesto veneno, cui as-
suevit, aliquæ portiones in ventriculo manentes salivam aut
anhelitum inficere potuerint, ex quibus alii fuere interempti.
Mandragoram quod concernit, illa non multum venenosa-
rum partium in se continet, quæ facilè per alvum excerni
possunt, reliquas partes, cum frigefaciendi vim obtineant, adu-
stos arentesque uteros, quales mulieres in Judæa & aliis calidis
regionibus habent, corrigere & propterea non incommodè
adhiberi posse statuit *Lev. Lemn. in expl. herb. bibl. c. 2.* Cum
autem Mandragora somnum conciliet atque usum rationis
non rarò intercipiat, dubitatur an vera fuerit Mandragora,
Quapropter *Balduinus Ronsseus Epist. Med. 60. p. 211.* autumat, per
Dudaim intelligi fructum illum Mandragoræ, quem *Theophr.*
l. 6. c. 2. d. Plantis, succi vinosi esse scribit, cum hæc à natura no-
stra non omninò aliena esse videatur.

12. Explicata Definitione ad *Differentias* accedo, quæ
variæ sunt. Nam I. Quædam *toti corpori* inimica sunt, ut vulg.
Carol. Wittenstein de Med. forma c. 5. quæ ibidem recensentur.
Quædam *certis* quibusdam in corpore *partibus* singulari pro-
prieta-

*v. Sennert. l. 2. Med. Pract.
p. 1. f. 2. c. 2. p. 85. Epist.
Paralip. p. 59.*

*v. J. B. Bartolin. cent. 2.
hist. 51. p. 261.*



prietate adversantur. Sunt enim quædam *cordi* infensa, ea, quia fontem vitæ petunt, subito interimunt, ut viperæ & serpentum venenum, quod morfu vel ictu immittitur. Quædam *cerebro* adversantur, quæ vel motum vel sensum abolent, & vel insaniam vel stuporem inducunt, ut cerebrum & sanguis felis, sanguis menstruus, solanum maniacum, vespertilionis cor & lingua. Quædam *pulmonibus* insidiantur, quæ eos ut plurimum exulcerant, ut lepus marinus. Quædam *Epar* petunt, quæ humores corrumpunt & non raro morbum regium pariunt, ut Auripigmentum, fel viperæ & illa planta, quæ sanguinem evacuat, de qua *Galenus l. d. purg. medic. facult. c. 4.* Quædam *vesicæ* infensa sunt, ut cantharides, quæ sive externè sive internè adhibitæ, nullas partes præter vesicam offendunt. *Lev. Lemn. d. occult. nat. mirac. l. 4. c. 9.* de quibus videantur *Henr. ab Heer. obs. 9. Bartholom. Montagnana & reliqui. Sperling de format. Som. p. 171.*

13. II. Quædam sunt lethalia, Quædam non. *Lethalia* sunt quæ partibus ad vitam necessariis & maximè cordi inimica sunt. *Non lethalia* illa sunt quæ partes aut actiones ad vitam non necessarias lædunt; qualia sunt quæ torporem & soporem, insaniam, furorem & saltandi libidinem inducunt. *Præsentanea* sunt venena volatilia ut Aconitum, Napellus & illud quod in Nubia Aphricæ urbe apud Æthiopes reperitur, cujus granum, si decem hominibus exhibeatur, per quadrantem horæ omnes jugulare potest; Si verò uni solum homini tradatur, statim eum interimit, teste *Dom. Terill. d. l. p. 31.* ubi & plurima alia recensentur. *Temporanea* sunt quæ non manifestis statim sese produnt signis sed conjecturis ex symptomatibus colliguntur, qualia sunt venena fixa, quæ diu in corpore latere possunt, ubi autem postea vires colligunt, subito hominem jugulant, ut venenum canis rabidi, quod non solum menses sed & annos aliquot delitescere potest, putatque *Laur. Hoffmann. d. us. & abus. Med. Chym.* Venena quædam diutius, imò si Alpharabio credendum esset, ad quadraginta etiam annos innoxia manere posse.

14. III. Quædam intra corpus assumuntur, quædam verò ab extrâ ipsi adveniunt. *Illæ* sub cibo vel potu propinantur,

Illæ vel Præsentanea vel Temporanea

tur, quæ in potu exhibentur magis sunt noxia teste Lemn. d. l. c. 18. quia citissimè in omnes partes rapiuntur, maximè si ex vino propinentur. Hæc ab Hippocr. lib. d. humor. periculosiora & calamitosiora habentur Holler. l. 1. d. morb. intern. c. 43. & in primis quæ morfu vel punctura infliguntur. Domin. Terill. d. l. p. 30. communicantur autem corpori variis modis; morfu, ictu, contactu, halitu, affrictione, inunctione, de quibus consulantur authores & in primis celeberrimus Sennertus, Mercurialis l. 1. d. venen. c. 7. & Dom. Terill. d. l. ubi de circumforaneo qui caryophyllum veneno infecit, cujus solo odore concurrentem suum enecavit, narratur, imò Theod. Zwinger c. 24. Physiol. Med. quosdam populos in Ponto oculis venenare asserit, an verò huic credendum, dubito, hoc autem notum est de Mediolanensium Duce Joh. Galeatio, quod apposito stapedi veneno cum equitare vellet, peremptus sit. Jonstbon. class. 10. Taumatograph. gener. c. 6. artic. 4. p. 558. & Ehippia veneno infecta fuisse, historiæ nostrorum temporum testantur. Hier. Mart. in præfat. lib. Grevini de venen.

15. IV. Dioscorides dispescit Venena in Mineralia, qualia sunt Arsenicum, Antimonium, Magnes, in Vegetabilia, ut sunt hyoscyamus, cicuta, napellus, Aconitum, & animalia, talia sunt serpentium genera, cantharides, Lepus marinus. Quam divisionem omnes ferè authores amplectuntur.

16. Sequuntur nunc Signa, quæ duplicia sunt Diagnostica & Prognostica. Diagnostica sunt vel veneni præsentis, vel corpori quocunque modo communicati, vel præsentanei vel temporanei. Præsentis veneni indicia sunt 1. Accidentia quædam cuidam evenientia, ut Horror naturæ occultus, aversio à cibis & potionibus veneno imbutis oblati, quam anxietas sudorisque eruptio sine ulla evidenti causa subsequitur. Similia obtingunt iis, qui caseum, panem, feles, ranas cœcis averfantur dissidiis totoque animo non solùm ab eorum esu sed quoque ejus aspectu vel odore abhorrent, quorum exempla plurima recensentur ab Authoribus. Gu. Fabr. Hildanus memorabile exemplum narrat de Puella quæ non sustinuit panem nominari nedum videre & edere, Plura exempla vide

B apud

apud Rabbi Moysen. 2. sect. aphor. Amat. Lusitan. Renod. l. 1. In-
stit. c. 8. Franciscum Joël l. 1. d. venen. s. 1. pag. 13. Henr. ab Heer.
obs. 29. p. 319. Schenck. sub tit. d. Idiosyncras. p. 1011. Marcell. Donat.
in tr. d. rad. mechoac. imò novi quendam qui ab umbilici no-
minatione abhorret. 2. rerum quarundam venenis adverfan-
tium sensibilis immutatio, sic lingua serpentis & lapis bufo-
nius præfente veneno statim madore perfundi dicuntur, unde
etiam annuli quibus infixi sunt bufonii à principibus gestan-
tur, ut à veneno sibi præcavere possint. Encel. d. re metall. l. 3.
c. 3. mirandarum quoque virtutum sunt corallia, Prasius lapis,
Ophitis & alia, de quibus consulantur Ansh. Bætius, à Boot. d.
hisor. lap. & gemm. Bald. Angelus de vipera natura, Rues,
Encel. &c.

17. Venena quæ corpori jam communicata sunt, ea, vel
per os sunt assumpta vel per morsum, ictum &c. immissa.
Per os assumpti veneni signa sunt: Post sumptum cibum sta-
tim morsus in ventriculo & intestinis, vomitus nimius & ex-
crementa alvi copiosiora, color excrementorum varius & in-
primis urinæ, si ea in sanis cum cordis morfu subito viridis ap-
pareat, totius corporis habitus variè coloratus & maculosus,
quod cuidam Imperialium servorum à vipera morfo accidit,
cui universi corporis color ita mutatus ut porri colorem re-
ferret, simile exemplum narrat Robert. Lyonnet. d. Peste c. 17.
pag. 76. Lingua labraque corporis extrema inprimis ungues
nigricant Hochsteter. dec. 1. nar. obs. c. 5. p. 32. partium extrema-
rum frigiditas adest. Hinc Beniven. d. abdit. morbor. caus.
c. 56. narrat, se habuisse famulum qui scorpione ictus subito
tanto & tam frigido sudore perfusus fuerit, ut argentissimâ ni-
ve atque glacie sese opprimi, quereretur. Cordis palpitatio,
syncope, animi deliquium &c.

18. Veneni ab animali aliquo vel morsu vel ictu impressi si-
gna sunt: Partis læsæ mortificatio & peculiaris color Hochstet.
d. l. putredo, inflammatio, intumescencia & dolor magnus,
homo sanus statim in extremum conjicitur periculum: mul-
ta simul symptomata apparent & quidem talia quæ ab intus
genito provenire non possunt, quibus adveniunt etiam quæ-
dam

dam ex jam allatis veneni assumpti, hoc quoque notandum ex *Nobiliss. Sebizii discurs. Phil. Med. de Adolescente serpente interempto*, quod icti à serpentibus spumam haud emittant.

19. *Presentanei* signum commune est, quod subito maximam in corpore mutationem efficiat & hominem in vitæ periculum dejiciat. *Temporanei* verò signa non ita certa sunt & imprimis in principio, sed tunc cognoscitur, quando naturâ victâ vires recolligit: Conjecturæ tamen quædam dantur, quæ tum in ipsa assumptione, dum post assumptionem ex effectis apparent.

20. *Communia* autem omnium *venenorum* signa sunt: Subitanea totius humanæ naturæ immutatio, lypothymia, syncope, anxietas & palpitatio cordis, virium prostratio, sudoris frigidi eruptio, pulsus inæqualis & ferè abolitus, vertigo, convulsiones, tremor, stupor, vomitus turbulenti & versicolores qui canibus (non autem gallinis utpote quæ venena plurima sine damno devorare possunt) exhibiti ipsos interficiunt, mordicatio & dolores ventriculi & intestinorum, singultus, urinæ suppressio & color viridis, profluvium alvi, sitis, faciei totiusque corporis varii colores, intumescencia atque foetor, imò plurima alia, de quibus consulantur authores. Non autem semper talibus sese produnt symptomatibus venena, interdum enim præter virium subitanæ prostrationem nullum ferè pulsus immutatum, nullum in urinis p. n. signum, aliaque similia sese aliàs offerentia nobis ostendunt. Cui tamen non omninò fidendum. Venena enim quò blandiora sensibus nostris & mitiora eò deteriores sæpè producant effectus. *Ardoyn. l. 2. d. venen. c. 3. & 6. Mercurial. l. 1. d. venen. c. 1. Fracastor. d. morb. contag. l. 1. c. 2. & 5. Capi vacc. d. venen. c. 6.*

21. De *Prognosticis* in genere notandum, quod omnia venena sive assumpta sive extra adhibita periculosa sint, & nisi idonea statim adhibeantur remedia, hominem aut interimant, aut vehementer lædant, & sanè multo plures sunt eorum, qui veneno pereunt, quam qui servantur. Unde rectè *Dioscorides lib. 6. in proæm.* monet, ut ex prima conjectura vel suspitione suborta de veneno, non expectatis certioribus si-

gnis, quamprimum & in ipsa hora periculi ad idonea remedia recurrendum sit, alioquin, dum singulares venenorum notae expectantur, immedicabile fit venenum, quoniam paulisper neglectum, & si radices egerit, nullis medicamentis cedit.

22. Signa autem Prognostica sunt vel salutis vel mortis. *Salutis* indicia sunt: si venenum non statim cor petat & in minori copia assumptum sit ut à natura facilius vinci possit, si symptomata minuantur, & aeger melius habere incipiat, quod tamen non semper absque periculo est, quia venenum corpori quandoque malignam imprimit *Διὰ δειν*, quae longo post tempore se prodit, praeterea si venenum, aut vomitu aut secessu aut sudore expellatur & aeger remediis adjuvetur venenique vis in alium affectum degeneret. *Mortem* contra portendunt, si venenum cor invadat, quod ex symptomatibus cognoscitur, & majori copia assumptum naturam fortius sit, si symptomata increcant, aeger nullis levetur remediis, atque nulla neque per vomitum, neque secessum neque sudorem fiat expulsio, si venena temporanea, quae antea latere sese exerant, tunc enim subito hominem jugulant.

23. Absolutis quae ad cognitionem venenorum spectant ad M M. pergam, quae tres communes offert indicationes, *Præservatoriam* scilicet, quae ab invasione veneni custodit; *Curatoriam*, quae quantum possibile à veneno accepto liberat; & *Vitalem*, quae vires à veneno debilitatas restituit.

24. *Præservationem* plerique majorum difficillimam arbitrati sunt, teste *Dioscoride l. 6.* propterea quod ii qui hujusmodi insidias homini clam machinantur, tanto id astu, solertia sagacitateque faciant ut quisque vel peritissimus decipi possit. *Zacut. Lusit. d. Med. PP. histor.* studio brevitatis ex milibus exemplum unicum enarrabo, quod affert *Ctesias* author de muliere quadam Statyra vocata, quae semper timuerat venenum, & summam ope nisa fuerat, ut id evitaret, & tamen à muliere quadam hoc modo decepta est: Hæc cultelli partem alteram veneno tantum affricavit, ac deinde coram Statyra divisit aviculam parvam coctam & qua parte à veneno cultelli avis tacta fuerat, oblata Statyræ, illico eam extinxit,
eum

eum intereà qua parte avis à veneno tacta non fuerat, nullum detrimentum miniftranti attulerit. Consistit autem Præservatio in duobus. 1. *In cuiuslibet sedula providentia ne venena intrò corpus serpani*, in quem finem Authores multas regulas præscripsere, quas, cum hîc recensere prolixum foret, apud illos & in primis celeb. Sennertum l. 6. Med. Præct. p. 5. c. 5. & Bernhard. Cæsum l. 3. c. 14. d. Mineral. Cardan. l. 3. d. Venen. c. 1. Andr. Baccium d. venen. p. 48. & c. videre licet. 2. *In debita Alexipharmacorum usurpatione*. Talibus qui se munit, à venenis semper tutus est, quanquam sint qui sanis ea prohibeant. Idque platum facit historia de Mithridate Rege Ponti, qui antidoto suo ita se inexpugnabilem fecit, ut ubi se ipsum veneno extinguere vellet, non posset. Zacut. lib. 5. d. Med. Principp. histor. 26. pag. 379.

25. *Alexipharmaca* autem sunt vel Externa vel Interna & ambo vel simplicia vel composita, de quibus Authores consulantur. Pauca tantum in medium proferam. Inter *simplicia interna* non postrema est ruta, & propterea non inconsulte faciunt (*inquit Lemnius l. 4. d. occult. nat. mirac. c. 12.*) qui in cultura hortorum huic primum locum attribuunt, cum præsentaneâ vi venenis resistat nec ullum serpentis genus sub hujus umbra se recondat, multosque insuper jejuno stomacho comesta à veneni virulentia liberaverit. J. C. Baricell. Hort. Genial. Atheneus l. 3. Dipnosoph. De Vitis flosculo scribit Id. Lemn. de herb. biblicar. explicat, quod ejus odor tanti effectus sit, ut venenatas abigat bestias, adeò ut serpentes, colubri, bufones hunc perferre nequeant sed remotissimè se ab eo subducant. Etzlerus cap. 4. Isagog. Phys. Mag. Med. p. 96. commendat, valdè fraxinum dicitque serpentes venenataque alia animalia adeò eam averfari, ut ne matutinas quidem vel occidentales umbras, quamvis sint longissimæ, ferre queant, sed procul fugiant; Commendantur etiam 3. nuclei allii, grana 20. Juniperi comesta, ut & buccella panis tosti butyro illinita recenti, idq; non sine ratione, pinguia enim omnia ferè assumpta veneni vim infringere possunt. Nam segnius virus hoc modo in venas dimanat aut diffunditur, nec confestim vitalia corripit, citiusq;

vomitu excutitur. Itaque si venenatis potionibus obsistendum, butyrum oleum ac pinguia exhibenda. *Lev. Lemn. l. 2. d. occult. nat. mirac. c. 18.* Composita sunt: Mithridatium non quod Plinius describit, nam cum præter rutam reliqua magis alimenta sint quàm medicamenta, *Francisco Joëli s. 1. d. venen. p. 9.* *Georgii Melichii* descriptio potius arridet, Theriaca, cujus tantam vim *Galenus l. d. Theriac. ad Pison. cap. 16. & 1. de Antid. cap. 16.* esse scribit, ut illis nullum venenum nocere possit, qui quotidie de ea fabæ Ægyptiacæ pondus fumpserint. *Externorum* sunt plurima, ut Corallia, Adamas, Smaragdus, Sapphirus &c. de quibus possunt videri authores. *Crollius* commendat suum Zenexton exterius funiculo serico intermedio indusio ad regionem cordis collo appensum, *Serenus Poëta*, qui post *Plinium* rem medicam carmine profecutus est, si quis nocte vel in pelle cervina quiescat, vel dentem illius gestet, à serpentum morfu immunem asserit, *referente Grevino l. 1. d. venen. c. 4. p. 54.* *Nobilissimus Amplissimus, Excellentissimus atq; Experientissimus Dn. Johannis Michaelis Phil. & Med. Doctor, Professor Lipsiæ Publ. celeberrimus, Facult. Decanus spectatissimus, Archiater Aldenburgicus, Præceptor, Patronus & Promotor meus ætatem venerandus* peculiare amuletum contra omnia venena ex antimonio & arsenico habet probatissimum.

26. Sequitur *Curatio*, quæ respicit morbos à veneno impressos & 4. suppeditat communes Indicationes. I. Veneni, per eandem viâ, quâ ingressum est, quantum possibile, revocationem & expulsionem. II. Malignitatis veneni extinctionem. III. Partis quam læsit corroboracione & IV. Somni prohibitionem. *Primum* fit vel per Extrahentia de quibus infra de curatione venenorum ab extrâ in corpus admissorum, vel per evacuantia, vel per diuretica vel per sudorifera, de quibus in curatione venenorum per os assumptorum peragetur. *Secundum* fit per Alexipharmaca. Sunt autem ea vel communia vel propria, *Propria* cum ad specialem de venenis pertineant partem, jam omitto. *Communia* sunt vel simplicia vel composita. *Simplicia* cum à multis authoribus sint collecta, hic recensere supersedeo, & Lectorem ad authores remitto. *Vid. Sennert. l. 5. Instit.*

p.1. f.1.c.21.l.6. Med. Pr. p.1.c.9. & eod. p.5.c.6. Franc. Joël. f.1.d. venen.
p.6. Manual. Med. Pr. Schönborn. Prævot. d. med. simpl. & comp.
Med. Pauper. pag. 302. & qui ei annexus est, censum Venen. pag. 356.
Andr. Baccium, Morellum, Tilemannum in Append. d. mat. med.

27. Inter composita commendat Hartm. Prax. Chymiatri.
p. m. 93. ea quæ Crollius habet, perfectiora enim (inquit) non
dantur. Prætereà laudantur *Tinctura Bezoartica* s. *Mixtura sim-*
plex, Bezoarticum Ore, & Medicamenta ex Sio, quæ plurimum
præstant, & narrat *Guilh. Fabr. Hild. cent. 3. obs. 37. p. 318.* quen-
dam veneno infectum Sio pristinae sanitati esse restitutum.
& *Caspar. Wolffius Medicus olim Tigurinus* refert, se præscripto
Sio tantum effecisse ut puella animal vivum lacertæ formam
habens per vomitum excreverit, *V. Nobiliss. Dn. D. Sebiz. discursus.*
Cum enim (ut putat *Quercetan. ex Paracels. tetrad. p. 396.*)
virtus ejus sit spoliativa & mundificativa, hinc fit, ut corporis
impuritates non secus absumat, quam aurum & argentum ab
ipso depurari videmus, mirum itaque non est, si corpus
etiam à veneno purificet. *Nobiliss. Dn. D. Joh. Michaelis* com-
mendat *sal. & essentiam viperarum*, quæ ipse in optimè instru-
cta sua *Pharmacopœia*, tanquam singulare secretum recon-
dit, *Quantas vires viperæ obtineant*, Authores multi docent,
Baldus Angelus dicit, ex ipsarum carnis esu non tantum ab om-
nibus gravioribus morbis atque venenis curari & in pristi-
num restitui, verum etiam continuato hoc esu ab omnibus
morbis præservari, & per literas mihi retulit *Chymicus & Me-*
dicus quidam experientissimus, quendam demorsum à vipera
nullo modo restitui potuisse, nisi carnem viperinam butyro
& salviâ ut in anguilla fieri solet, conditam comedisset, qua
sola sensibilibiter sanatus fuit, ut ita ubi virus ibi etiam virtus
sit, idq; fit proptereà inquit *Nollius system. Hermet. Med. c. 9. p. 32.*
quod talis bestia simul renovandi & restaurandi facultate pol-
leat ex quo potissimum balsamum contra quælibet venena
est eliciendum & propinandum, *Quicquid enim teste eodem*
d. l. se renovat balsamo aliquo, illud & aliam naturam eodem
balsamo renovat. Plura qui desiderat composita, adeat prædi-
ctos Authores.

28. III. *Partis quam læsit, corroboratio, fit per specifica, & pro diversitate partis læsæ, diversa etiam exhibenda specifica, de quibus de Venenis in specie agitur ab authoribus, Cordialia autem imprimis requiruntur (nam venenorum quæ cordi inimica sunt, plurima dantur) quorum usu cor & spiritus vitales corroborantur, ut non tantum veneno resistendi verum etiam illud superandi vim accipiant. Sunt autem ea: CC. Os d. CC. Ambra, Elixir cordiale Sennerti, Elixir proprietatis, Pulvis cordialis Bætii, Magisterium Cordiale Ampli. Dn. D. Michaelis & plura, alia, de quibus videantur Authores, & IV. Somni prohibitio maximè necessaria est præsertim in principio, in somno enim non tantum medicamentorum usus & symptomata negliguntur, sed & veneno ad cor & interiora via aperitur Ludov. Mercatus tr. 4. d. essent. febr. malign. p. 126. Non autem per totum tempus prohibendus, sed interdum, ut vires recolligi & cor illis contra venena fortius se munire possit, etiam permittendus est.*

29. *Venenum ore assumptum* indicat, ut quò citius fieri potest, è corpore & quidem per loca proxima & à corde quantum fieri potest, remota, evacuetur. Quamvis *Purgantia* ubi venenati sunt & maligni humores, non convenient, cum eos agitent potius & ad cor cum impetu trahant si tamen venenum per os assumptum sit, exhiberi possunt, cum adhuc imprimis viis hæere queat, illi autem per totum corpus diffusi sint. Commodissimè in principio usurpantur *Vomitiva*, non autem fortiora sed leniora & ex pinguioribus parata: ut oleum commune Decoctum sem, malv. lini, fænugrac. fl. genistæ, raphan. Si periculum sit in mora sumantur ea, quæ ad manus sunt, ut ∇ . tepida & cerevisia multo oleo vel butyro condita. Non autem semel tantummodo vomitus est eiendus, sed tamdiu continuandus, donec veneni in ventriculo existentis nullum amplius signum adsit. Si in intestinis tenuioribus hæreat, leniter purgantibus ut cassia, manna &c. expellendum. Si ad crassa pervenerit clysteribus abluendum & detergendum, de quibus Vid, *Disput. de Clysterum Natura & Usu saluberrimo Viri Nobil. Ampl. Excell. atq; Experientis. Dn. D. Mæbii P. P. Patroni & Promotoris mei æviternum venerandi.* Si ad vias urinæ ver-
gat

gat, diureticis, ut emulsione semin. melon. citri. amygdal.
dulcium & reliquorum feminum diureticorum agendum.
Ubi tamen notandum quod semper Alexipharmaca, non tan-
tum communia, sed etiam propria, si ad manus sint & vene-
num notum sit, addi & simul usurpantur atque extra loca in quibus
pulsus deprehenditur oleo aranear. *Münder. magni Duc. Her-
truriae*, citri, scorpionum, cui *Petrus Salius in lib. d. febr. pe-
stilen. c. 23.* mirabiles effectus ascribit, ita ut etiam semimor-
tuos, reviviscere faciat, si eo solo cordis & arteriarum regio in-
ungatur, & oleo Caravitæ d. quo *Sennert. l. 6. Med. Pr. p. 5. c. 7.* in-
ungi debeant. Reliquiæ sudoriferis & quidem simul Alexi-
pharmacis discutiendæ, in quibus exhibendis non omnes illæ
conditiones, quas aliàs in aliis, ubi sudores sciendi, morbis ob-
servare decet, pensitandæ sunt, cum venena non concoqui sed
nisi statim evacuentur, hominem in certum vitæ periculum
præcipitare possint. *Sennert.* His autem tamdiu continuand-
um, donec omnis veneni vis corpori impressa, expugnata sit.

30. *Extra immixtum venenum* è corpore tollitur. 1. *Ex-
tractione*, quæ tamdiu continuanda, donec color vitiosus, do-
lor, cæteraque symptomata cessaverint. Fit autem tribus mo-
dis 1. *vi caloris*, beneficio medicamentorum in 3. vel 4. gradu
calidorum quæque sunt partium tenuium, ut sunt sinapi, py-
rethrum &c. 2. *vi doloris*, acris, cauteriis actualibus & po-
tentialibus. 3. *vi vacui*, ut cucurbitulis cum magna flamma
cucurbitularum instar viventium gallinarum podex vulneri
si admoveatur venenum extrahere creditur, *Smetius miscell.
Med. c. 21. p. 88. &c.* 4. *vi similitudinis* & modo occulto, quo a-
gunt Emplastrum magneticum Arsenicale *Crollii, Hartmanni
& Angelisale, oleum Scorpion. Matth. aranear. Mündereri*, Bufo-
nes exsiccati & in pulverem redacti, Smaragdus subtilissimè
tritrus, sub pede æqualiter sacrificato positus, de quo *Petr. Fo-
restus l. 30. obs. 5. p. 17.* Capæ sub cinere coctæ & in forma empla-
stri plantis pedum impositæ *Id. d. l.* Tormentilla loco affecto
trita apposita de qua *V. Schenck. obs. & Experim. exoter. cent. 7.
experim. 70.* fel viperæ. Item caput ejus contritum & emplastri
modo vulneri impositum. Sordes etiam aurium aegroti au-

C

tore



Fore Plinio l. 28. c. 4. serpentum moribus & ictibus impostæ
 plurimum præstant. Mulum etiam exenteratum propter su-
 am vim attractivam venena extrahere *J. C. Claudin. l. 2. c. 20.*
p. 263. experientiâ & exemplo Valentini Borgiæ Alex. VI.
 Pontificis filii comprobatur. Caro præterea omnium
 venenatarum bestiarum contusa & vulnere admota ve-
 nenum suum, quod corpori immisit; ob sympathiam,
 quam cum eo habet, ad se trahit; simile quippe attrahit
 simile, unde fit; ut; teste *Verulamio centur 5. Sylv. Sylv.*
p. 288. herbis venenatis nativa malignitas apposito illis effica-
 ciorè veneno, tolli possit. II. *Interceptione* ubi vinculo loco
 superiore injecto, ne venenum corpus invadat; membrum li-
 gandum; vel portio carnis, quousque vulnus penetravit, ex-
 scindenda; vel totum; si absque vitæ periculo fieri possit; mem-
 brum ressecandum; venena enim quædam ita exitiosa sunt;
 quæ non nisi totum membrum statim vel abscindatur vel ad-
 uratur abigi possunt. *Forest. l. 3. obs. 1. p. 4.* postea vulnus vino cum
 theriaca mixto abluatur. III. *Alexipharmacorum*, si venenum
 corpus occupaverit, & quidem statim in principio, *usu.* IV. *Ul-*
ceris vel vulneris, ictu aut morsu inflictæ *Purgatione* Spiritu Vi-
 ni vel alio & *consolidatione*; non autem ita facile vulnus vel ul-
 cus claudendum, sed aliquandiu apertum maneat, quò vene-
 num eò facilius extrahi possit, *Valeriola l. 3. obs. 11. p. 201.*

32. Reliqua omnia externè corpori immissa eodem
 modo extirpanda, sed notandum, quod ea quæ *unguentis intru-*
sa sunt, itidem unguentis & oleis alexipharmacis sint extrahen-
 da. Venena verò *suffitu vel odore illata*, etiam suffitibus & odo-
 ribus ei contrariis vinci debeant, quæ parantur ex ambra,
 moscho myrrha &c. Item balsamo succini, rutæ &c. mastica-
 toriis odoratis & Alexipharmacis.

33. *Vitalis*, consistit in sex rerum non naturalium legiti-
 mo usu, qui talis esse debet ut medicamentis respondeat. *Aer*
 non sit conclusus sed apertus, altereturque suavibus odoribus
 ut spiritus citò refici queant. *Cibus* omnis sit pinguis & oleosus
 butyroque benè imbutus, cui cardiaca & Alexipharmaca ut
Zedoaria, cortices citri &c. addi possunt. Loco salis ditiores
 uti

uti possunt, sale carduibenedicti, C.C. sine Δ preparato, hya-
cynthis præparatis. Lac in cibo & potu usurpatum valdè com-
mendatur, ejus etiã copioso potu *Cardanus* quosdam vene-
no affectos liberavit. *Schenck. l. 7. obs. p. 1010. Reliqua omnia ita*
temperari debent, ut veneno potius resistendi & illius vim in-
fringendi, quàm ei viam aperiendi, occasionem præbeant.
Hæc sufficiant hæc vice de Veneno in genere dixisse, DEO sit
Laus & gloria in sempiterna secula.



 Nil pestifero magis exitiale veneno
est:
Quid potuit scripto dignius esse
Tuo?

Crede mihi, tantò major TIBI gloria surget
Quò data majori est hîc Medicina malo.

Christoph. Schelhammer D.

Perdidit ergò suas vires immite venenum,
depositis q₃ dolis in medicamen abit.
Vipera non - nocuum mittit furibunda cruorem
privigni longum nulli aconita timent.
nec peragrat tristes se vis ambagibus artus
potio, quam præbet flagitiosa manus.
Opateris, epulis, gallo mactande nec uno,
qui tutas præstas cum pateris epulas!

Clarissimo Dn. Doctorando gra-
tulatur

Johannes Thome, D.
Quid

Quid sit, quid possit natura abtrusa *Veneri*,
Quâ vitæ fontem cor ratione petat,
Quâq; suas vires nunc lentè in corpore *virus*,
Nunc subito prodat, Quid ve sit *Hippocratis*
Divinum, labor est, fateor, decernere certò,
Et vix humanæ, dicere, mentis opus.
Sed quæ visa aliis sunt ardua, acumine magni,
MÛLLBROCCI, ingenii Tu superas facile.
Nempe facem præbes tenebris, & reddere lu-
cem

Obscuris gaudes, Luce Tui ingenii;
Dumq; *Venerorum*, naturæ arcana revelas,
Quæ vel *Doctorem* quis penetrare potest?
Hinc merito facilem Tibi Phoebus spondet Hyge-
am

atq; decus summum conciliat Medici.

*Quibus Domino Competitori, Commensali,
Amico & Fautori suo honoratissimo ani-
mitus gratulatur*

Christian. Buncke Hamb.



ULB Halle


3


005 132 606



VDA 7







2.

Volente Archiatro Maximo. 1649, 7

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VENENO

Quam

DECRETO ET AUTHORITY GRATIOSIS-
SIME FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA
SALANA,

P R E S I D E
V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq̃
Experientissimo*

D^N. CHRISTOPHORO SCHELHAM-
MERO Hamburgensi, Med. Doctore, Anatomia,
Chirurgia ac Botanices P. P. celeberrimo, Facul-
tatis Decano spectatissimo, Dn. Patrono ac Pro-
motore suo omni observantia cultu
prosequendo.

P R O L I C E N T I A

*Summos in arte Medica HONORES & PRIVILEGIA
DOCTORALIA obtinendi & impetrandi*

Publicæ disquisitioni subjicit

VALENTINUS ANDREAS MOLLENBROCCIUS
Erffurtensis.

*Ad diem Decembris
Horis locoque consuetis.*

J E N Æ

Excudebat CHRISTIANUS LAURENTIUS Kempff.
ANNO M. DC. IL.